M. TULLII CICERONIS

EPISTULARUM EMENDATIONES

M. TULLII CICERONIS

EPISTULARUM EMENDATIONES

SCRIPSIT

IOSEPHUS KRAUSS

LIPSIAE

IN AEDIBUS B. G. TEUBNERI

MDCCCLXVIIII.

LIPSIAE: TYPIS B. G. TEUBNERI.

IOSEPHUS KRAUSSIUS

FRIDERICO RITSCHELIO PHILOLOGORUM PRINCIPI

S. D.

Ut antea saepe, ita hoc maxime anno, quo Litterarum Universitas Fridericia Guilelmia Rhenana, cuius Tu quondam insigne decus et ingens fuisti praesidium, x lustrorum felicissime peractorum memoriam celebrabat, absentis Tui desiderio graviter commoti sumus. Illa enim Academia, ab exiguis profecta primordiis, cum mox latius clarescens nominis sui fama totam Germaniam implevisset, partam a Welckero, Schlegelio, Niebuhrio aliisque laudem singulari ingenii Tui praestantia firmatam vidit et auctam. Sed equidem non is sum, qui quid illi litterarum sedi praestiteris satis digne commemorem; nos vero, qui Te praeceptore usi sumus, Tuam memoriam, grata piaque recordatione Te prosequentes, tanquam perenni monumento ornabimus. Quotienscunque enim reminiscimur ea tempora, quae Bonnae litteris operam dando transegimus, libentissime haeret animus noster in cogitatione eorum bonorum, quae per Te omnes sese consecutos esse profitebuntur, sive Tecum versantes domi Tuae, sive in scholis Tuis, sive in seminario, cui Tu praeeras, philologico. Quam enim facilis eras aditu, quam expedita erat ad Te Tuosque via, ut omnibus, quotquot vel paululum Tuam gratiam mererent, et domus et bibliotheca Tua paterent. Ibi Tu alium, timore quodam occupatum, amice cohortari, alium, ingenii

conscientia iuveniliter exsultantem, ad verecundiam revocare, alium multa degustantem, ut paucorum scriptorum se aleret ingeniis monere, huius, qui consilii inops erat, desideria libenter exaudire, illum velut exemplum, in quod alii se formarent, proponere, omnes denique voluntate, consilio, re ita iuvare, ut sincero animo Te verentes Tuae disciplinae penitus se darent. Quare nunquam suavius adfectus noster animus est, quam cum plurimi adulescentes philologiae causa sermones conferendo vespertinum tempus Tecum agebamus hilariter.

Quid autem dicam de scholis Tuis? Utrum magis admirabamur reconditam Tuam eruditionem, qua nobis exponebas grammaticam latinam, an mirum ingenii acumen, quo corruptissimis scriptorum locis lucem adferebas, an in re metrica aures doctissimas, an divinam in rebus indagandis sollertiam, an concisae et masculae orationis impetum, an admirabilem facultatem ea, quae perspecta haberes, tradendi, an quod omnia in Te summa erant? Dignum sane exemplum, quod impigra cura et indefesso labore imitaremur. Et vero plerique nostrum ita tantummodo sibi satisfecerunt, ut multa demum nocte ad quietem se recipientes vel somni beneficio se fraudarent.

Sed praeter has scholas fructuosissimas alius patebat campus, ubi saluberrima disciplina vires nostrae ita adolescerent, ut quod maxime haberemus propositum felicissime consequeremur: dico seminarium philologicum. Ibi ut Te duce et auspice veteres scriptores intelligendi aestimandique artem perdisceremus quantopere alliciebamur trahebamurque! Quantus optimorum adulescentium ardor fuit, ut eam, quam Tu praeter ceteros callebas, veri investigandi rationem assequerentur! Et ut illius voto abunde satisfactum est, qui seminarii philologici sodalibus adscriptus esset, ita idem, cum sollertis et consideratae ratiocinationis laudem abs Te tulisset, quod ultimum esset optandum sibi videbatur assecutus esse.

Illa autem via acuendae intelligentiae quaenam est? Visu quidem facillima, sed eadem omnino ardua. Neque enim artificium quoddam est, quod traditur et accipitur, sed

ars est multo usu ediscenda multoque exercenda labore: prudenter dubitare, acute inquirere, sollerter iudicare, praecepta nec temere dare, nec data ab aliis bona fide accipere; singulas res, vel minores accurate ponderare; quid certum sit, quid probabile evidenter demonstrare, omni incuria, imprudentia, temeritate exclusa; quodque verbum, priusquam utare, planum sit, aptissimum aptissimo sit loco; sententia eis, quibus opus est verbis efferatur, ne sit nec quod demas nec quod addas. — Verumtamen haec via ac ratio non a Te excogitata est, neque omnino in nostrae aetatis luce inventa. Sed est illa via, qua Graecorum Romanorumque scriptores verum indagabant inveniebantque, est veterum ars disserendi, cuius praecepta ab Aristotele traduntur, cuius praestantissima exempla in Thucydidis historiis in Demosthenis orationibus, in Platonis dialogis, in Ciceronis scriptis, in Horatii epistulis inveniuntur. Itaque, cum viae ac rationis gravissimus nobis auctor esses, quid aliud agebas, quam ut nos veterum disserendi subtilitatem ad eorum libros interpretandos transferre iuberes? Nam huius artis adiumento ad quaevis altiora adsurgere licet: sive in animo est veterum mores et instituta explorare, sive tecum cogitas antiquitatis monumentorum veram indolem et naturam cognoscere, quae corrupta et depravata sunt videre, supposititia a genuinis dignoscere, sive libet superiorum saeculorum historias indagare, latentes rerum causas inquirere, abditissima hominum consilia deprehendere, inveteratas opiniones fallaci fucatoque nitore exuere, denique ad summam, qua nostra aetas gaudet, criticae artis perfectionem accedere.

Num igitur, quoniam tot tantisque doctoris virtutibus florebas, mirum videri potest, nos in magnae felicitatis parte ponere, quod Tua disciplina instituti sumus? Illi autem, quibus per fortunae malignitatem non licuit Te audire, nonne bene nobis consultum iudicabunt? ‘At’ inquies ‘tu mihi vix ullos virtutis, quam olim de te speraveram, igniculos in pectore gerere videris. An ut multorum aliorum ita tuos quoque industriae nervos elisit vita umbratilis?’ Bona verba

quaeso. Nosti enim qua in conditione simus qui educandae erudiendaeque soboli inserviamus: nempe ut in libris legendis non conscribendis tempus et opera nobis ponenda sit. At — neque enim oblitus sum, quae crebrius collocuti sumus — unum saltem bonum librum a nobis postulabas. Et iure postulabas. Quanquam quis fuit, quem non moverent tempora praeterita, quibus tranquillo otio frui vix liceret, qui nihil perterritus proeliis, nihil curans bella bellorumque rumores inchoata opera non intermitteret? Patria quidem proxime nos attinet, et equidem, ut de me loquar, aegre a me impetrare potui, ut nullis rei publicae curis distractus in gravioribus studiis me tenerem. Neque non premebant animum res adversae. Carissimae uxoris, unici filii orbitate vulneratus in genere mortalium me esse sensi, ut quem versum Homericum imperator Augustus saepe exclamasse dicitur Αἴθ' ὄφελον ἄγονός τ' ἔμεναι ἄγαμός τ' ἀπολέσθαι eundem calamitoso mihi recitarem. Acceptis autem tam gravibus vulneribus solatio indigens iterum ad studia confugi, ut opusculum, quod sub manibus erat, ad maturitatem perductum Tuoque insignitum nomine Tibi mitterem. Est autem illud de Ptolemaeorum studiis Homericis, quod ita confeci, ut limam addere superesset. Interea cum ordo posceret, ut in gymnasio nostro disputandi munus obirem, emendationes ad Ciceronis epistulas, diu in scriniis servatas, protuli, easque iam altera parte auctas, ut memorem beneficiorum animum testarer, Tibi transmittendas curavi. Hic igitur libellus ut parvulum grati animi pignus abs Te accipiatur uti oro rogoque, ita ut idem Tua disciplina dignus Tuaque doctrina profectus videatur vehementer exopto. Vale.

Dabam Coloniae Agrippinae XXII. Nov. MDCCCLXVIII.

Cum Ptolemaeus Auletes, Aegypti rex, e regno expulsus a senatu populoque Romano praesens petivisset, ut restitueretur, factum senatus consultum est, ut reductio regis per eum fieret, qui proconsul Ciliciam Cyprumque teneret. Sed Hammonius, legatus regius, qui profecto rege in urbe remanebat, et sua opera et aperte suppeditata pecunia id maxime agere coepit, ut hoc munus mandaretur Pompeio, qui ob Mithridaticum bellum eximia laude confectum summa apud exteras gentes erat auctoritate, et immoderata ductus ambitione reducere regem et ipse valde cupiebat. Itaque et regiae largitionis Pompeiique potestatis invidia et religionis causa, quod Sibyllini versus vetabant, ne rex cum multitudine restitueretur, tanta in senatu studiorum contentionumque varietas apparuit, ut quinque varie decernentium sententiae pronuntiarentur, quas Cicero in epistula ad P. Lentulum proconsulem data Epist. ad Fam. I. 1, 3 editionis Orellianae hisce verbis exponit:

'Hortensii et mea et Luculli sententia cedit religioni de excercitu — teneri enim res aliter non potest, — sed ex illo senatus consulto, quod te referente factum est, tibi decernit, ut regem reducas, quod commodo reipublicae facere possis; ut exercitum religio tollat, te auctorem senatus retineat. Crassus tres legatos decernit, nec excludit Pompeium; censet enim etiam ex iis, qui cum imperio sint: Bibulus tres legatos ex iis, qui privati sunt. Huic assentiuntur reliqui consulares, praeter Servilium, qui omnino reduci negat oportere et Volcatium, qui Lupo referente Pompeio decernit, et Afranium, qui assentitur Volcatio. Quae res auget suspicionem Pom-

peii voluntatis, animadvertebatur Pompeii familiares assentiri Volcatio. Laboratur vehementer, inclinata res est. Libonis et Hypsaei non obscura concursatio et contentio omniumque Pompeii familiarium studium in eam opinionem rem adduxerunt, ut Pompeius cupere videatur.'

In quibus ea verba, quae fere extrema sunt: *animadvertebatur Pompeii familiares assentiri Volcatio* suspicionem merito movent. Quid enim, ut sententiam examinem, in eis inest, quod non dictum sit in superioribus et multo accuratius dictum et magis definite? Quid iterum in universum Pompeii familiares Volcatio assentiri dicuntur, cum qui duo assensi sint Lupus et Afranius iam nominatim sint appellati? An praeter Lupum et Afranium reliquos Pompeii familiares indicare voluit assensos esse Volcatio? At de his infra sermo est: *Libonis et Hypsaei non obscura concursatio et contentio omniumque Pompeii familiarium studium.* Porro quid illud sibi vult *animadvertere?* Num animadvertebatur potius? Quasi illi obscure egerint, quasi non libere sententiam professi sint, suo ore clamaverint, suisque testati sint nominibus? Neque vero inter ea, quae vel antecedunt vel sequuntur, ulla cohaerentia cognoscitur. Postremo augetur etiam suspicio, si ipsa verba consideras. Sunt illa quidem latina, non nego. At quid unum imperfectum tempus *animadvertebatur* inter tot praesentia, ut ipsa mirentur quo pacto convenerint? Adde orationis ieiunitatem et infantiam, ut eisdem verbis repetitis efferatur sententia. Adeone scriptorem latinum balbutire et Ciceronem balbutire? Sed iam satis demonstrasse mihi videor ista verba esse inania, inepta, inculta, denique ea, quae margini adscripserit quispiam, qui totius enuntiationis summam tribus verbis comprehendere vellet.*)

Idibus Ianuariis a. 698 cum in senatu altercatione Lentuli consulis et Caninii tribuni plebis dies ita consumptus esset, ut ille ex Bibuli sententia regem neque cum exercitu

*) Probata est haec nostra sententia G. Meutznero in eius censura Cic. epist. ad Att. ed. J. C. G. Boot cf. Fleckeiseni Jahrb. f. class. Phil. 1867. fasc. 10. p. 697.

neque ab eis, qui cum imperio essent, reduci vellet, Caninius autem pro Pompeio contenderet, amplissimo ordini placuit, ut sententiae breviter dicerentur.

'Itaque, ait Cicero I. 2, 1, cum sententia prima Bibuli, ronuntiata esset, ut tres legati regem reducerent, secunda Iortensii, ut tu sine exercitu reduceres, tertia Volcatii, ut ompeius reduceret, postulatum est, ut Bibuli sententia dvi-eretur. Quatenus de religione dicebat, cui rei iam obsisti on poterat, Bibulo assensum est; de tribus legatis frequentes erunt in alia omnia. Proxima erat Hortensii sententia, cum upus tribunus pl., quod ipse de Pompeio rettulisset, inten-ere coepit, ante se oportere discessionem facere, quam con-ules. Eius orationi vehementer ab omnibus reclamatum est; rat enim iniqua et nova. Consules neque concedebant neque alde repugnabant; diem consumi volebant; id quod est factum. erspiciebant enim in Hortensii sententiam multis partibus lures ituros, quamquam aperte Volcatio assentirentur.'

Hisce apparet, ex quinque sententiis priore epistula ex-ositis duas esse sive desertas ab auctoribus sive omissas a onsulibus, alteram Crassi alteram Servilii, et tantum tres reliquas fuisse, quas consules prudentissime hoc ordine posuerunt, ut quae potior esset primo loco diceretur; ut si Bibulus causam obtinuisset, neque Hortensii sententiae neque Volcatii locus fuisset. Sed Bibuli sententia ex parte tantummodo vicit. Quatenus de religione dicebat, ei assensum est: regem cum multitudine reduci periculosum reipublicae videri; de tribus autem legatis, qui ex privatis essent, frequens senatus in alia omnia transiit. Proxima igitur fuit Hortensii sententia. — Hactenus omnia recta et plana, sed eam, quae sequitur, Lupi tribuni plebis orationem: *quod ipse de Pompeio rettulisset, ante se oportere discessionem facere quam consules* sine ambitione et invidia dici potest ita non intellectam esse doctis hominibus, ut nec quid Lupus nec cur postulasset viderent. Wielandium enim perperam haec verba interpretatum esse: 'da er bereits in der vorletzten Session auf den Pompejus angetragen habe, so sei er berechtigt zu verlangen, dass der Senat über

seinen Vortrag zuerst stimme,' Drumannum autem falsa Wielandii interpretatione nisum quae non magis vera essent docuisse: 'als man über Hortensius' Vorschlag stimmen wollte, verlangte Lupus, dass der seinige, als der ältere, vorgehe' II. p. 538 n. 2 probabili argumentatione demonstravit et Lupi sententiam ceteris minime priorem exstitisse docuit Iohannes Muellerus in programmate scholae Oenopontinae a. 1862 edito. Neque tamen quod ipse sibi eruisse visus est probabile est. Sic enim scribit: 'Die Stelle ist so zu übersetzen: Zunächst nun kam der Antrag des Hortensius, als der Volkstribun Lupus mit der Anmuthung auftrat, weil er selbst einen Antrag auf Pompejus gestellt habe, so könne er die Vornahme der Abstimmung vor den Consuln beanspruchen: Die Forderung des Lupus ging also wohl dahin, dass, weil er als Tribun neben den Vorschlägen, welche aus der von den Consuln im Allgemeinen anberaumten Berathung erwachsen waren, mit einem bestimmt formulirten Antrage hervorgetreten sei, er das Recht habe, eher über seinen Antrag abstimmen zu lassen, als die Consuln über jene.'

Bene fecit vir doctissimus, quod sat dubitanter et verecunde scripsit. Ut enim omittam in hac interpretatione inesse, quae in latinis verbis omnino non insunt, in hunc errorem abductus est, ut *discessionem facere* Abstimmung vornehmen, abstimmen lassen interpretaretur. Cuius quidem erroris vel socios vel auctores habet Freundium, Georgesium, Klotzium alios lexicographos consultissimos, qui *discessionem facere* germanice reddunt eine Abstimmung durch Discession veranlassen, durch Discession votiren lassen. Hoc latine dicitur *discessionem fieri iubere* et magistratuum fuit, imprimis consulum, qui sollemnia illa verba pronuntiabant: *Qui haec sentitis in hanc partem, qui alia omnia in illam partem ite, qua sentitis.* Cf. Plin. ep. VIII. 14.

At vero *discessionem facere* duobus verbis idem significat, quod *discedere* et germanice vertendum est durch Discession abstimmen, durch Discession votiren. Idem discrimen faciunt scriptores graeci, apud quos de his rebus sermo est, inter

κελεύειν μεθίςταςθαι s. μεταςτῆναι et μεταςτῆναι. Ita Plutarchus in vita Pomp. c. 58 (Μάρκελλος ὁ ὕπατος) Ἐκέλευςε γὰρ μεταςτῆναι τοὺς Καίςαρα μόνον τὰ ὅπλα καταθέςθαι κελεύοντας, Πομπήιον δ' ἄρχειν· καὶ μετέςτηςαν οἱ πλείους. Αὖθις δὲ μεταςτῆναι κελεύοντος e. q. s. Fit autem discessio a senatoribus, cum sententiam alicuius secuti suis subselliis relictis in illius discedunt. Hoc omnino passive dicitur: fit, facta est discessio, ut apud Ciceronem pro Sestio 34, 74. *Cum omnes certatim aliusque alio gravius de mea salute dixisset, fieretque sine ulla varietate discessio, surrexit* e. q. s. Verr. IV. 65: *In eo, cum iam non solum discessio facta esset, sed etiam perscriptum et in tabulas relatum*, praetor appellatur. Tac. Ann. III. 69. *Darent Iuniae familiae et viro quondam ordinis eiusdem, ut Cytheram potius concederet. id sororem quoque Silani Torquatam, priscae sanctimoniae virginem, expetere. in hanc sententiam facta discessio.* Denique apud Plinium in illo, quem supra citavi loco VIII. 14. *Quid? lex non aperte docet dirimi debere sententias, cum ita discessionem fieri iubet?* — Sunt enim senatores intelligendi, qui discessionem facere iubentur, ut ex eis, quae sequuntur, perspicitur: *Nonne videtur ipsa lex eos, qui dissentiunt, in contrariam partem vocare, cogere, impellere?* Faciunt autem discessionem singuli et proprie ille, qui cum rettulisset, ubi ipsius pronuntiata sententia est, primus discedit, et quem transeuntem ceteri vel sequuntur, vel in alteram partem transeunt. Id verbo activo exprimitur. Cf. A. Hirtii de bell. Gall. VIII. 52 (Kraner.): *Neque* (Curio) *hoc tantum pollicitus est, sed etiam per se discessionem facere coepit; quod ne fieret consules amicique Pompei iusserunt atque ita rem moderando discusserunt.* Ibid. 53: *Nam Marcellus proximo anno cum impugnaret Caesaris dignitatem, contra legem Pompei et Crassi retulerat ante tempus ad senatum de Caesaris provinciis, sententiisque dictis discessionem faciente Marcello, qui sibi omnem dignitatem ex Caesaris invidia quaerebat, senatus frequens in alia omnia transiit.*

Sic Ciceronis quoque verba intelligenda sunt. Cum enim proxima dicenda esset Hortensii sententia, Lupus, tribunus pl., quod ipse de Pompeio rettulisset, postulare coepit, ut

antea ipsius diceretur sententia, in eamque discessio fieret. Sed *quam consules* verba manifesto corrupta sunt. Neque enim omnino consules discessionem faciebant, sed soli discedebant senatores. Cf. Langii Ant. Rom. II. p. 324, 360 sq. Cui rei refragari videtur Cic. or. Phil. XIV, 7 extr. *Has in sententias meas, si consules discessionem facere voluissent, omnibus istis latronibus auctoritate ipsa senatus iam pridem de manibus arma cecidissent:* sed videtur tantummodo. Neque enim *si consules* verba Ciceronis sunt, sed Manutii coniectura, plus uno nomine falsa. Equidem a Vaticani et plurimorum librorum memoria qui *si cos. (coss.) design. (designati)* habent, profectus ita potius hunc locum emendaverim: *Has in sententias meas si quos designavi d. f. v.*

Sed non solum linguae et antiquitatis usu, verum etiam sententiae necessitate intelligitur illa verba vitiata esse. Lupus enim cum cognovisset ad Hortensii sententiam multis partibus plures ituros esse, timere coepit ab Hortensio. Voluit igitur discessionem facere ante quam Hortensius. Quare ut expedita sint omnia scribendum est *quam consulares.* Et ita ni fallor iam in Vict. pr. Venetiis MDXXVI. Viri enim consulares Bibulus et Hortensius intelligendi sunt. Quaerenti autem tibi cur non iam Bibulo Lupus idem, quod Hortensio obiecerit, rectissime respondet Manutius: quia senatoribus non admodum eius probari sententiam, nec ab eo, sed ab Hortensio timendum intelligeret. — Operae pretium facturus mihi videbar, si de hoc loco explicatius exponerem. Illud autem quaerere nolim, quo iure Lupus postulare potuerit, ut sententiarum ordine, quem consules statuerant, relicto, ipse, quod tribunus plebis esset, ante quam consulares discessionem faceret. Utique nova fuit eius oratio et iniqua, cui Cicero vehementer ab omnibus reclamatum esse refert.

I. 7, 2 ita exhibuit Orellius:

'Unum illud audeo, quod antea tibi saepe significavi, nunc quoque re perspecta et cognita scribere: vehementer quosdam homines, et eos maxime, qui te et maxime debuerunt et plu-

rimum iuvare potuerunt, invidisse dignitati tuae, simillimamque in re dissimili tui temporis nunc et nostri quondam fuisse rationem: ut quos tu reipublicae causa laeseras, palam te oppugnarent; quorum auctoritatem, dignitatem voluntatemque defenderas non tam immemores essent virtutis tuae, quam laudis inimici.'

In hoc loco emendando, cum omnis opera eo maxime contineatur, ut Mediceo codici suum restituatur pretium, breviter fungi munere licet. Codex enim ille praestantissimus *non tam memores* habet, ut Cicero in hanc sententiam disserat: Quos tu olim reipublicae causa laesisti, ei nunc tui aperti inimici sunt; quos tu olim defendisti, ei magis laudi tuae invident, quam grato animo virtutis tuae recordantur. Contra, qualia supra ab Orellio scripta sunt, ita intellexeris: Quos tu olim ex reipublicae dissensione laesisti, ei nunc aperti tui inimici sunt; quos tu olim defendisti, sunt illi quidem virtutis tuae non immemores, sed laudi tuae invident. In quibus illud offendit, quod non bene memores dici possunt ei, qui laudem alicui invident, a quo antea defensi sunt. Et ut possint, quid refert, ingratine sint, an maligni. Lentuli certe minime intererat, utrum suae virtutis oblivione, an laudis invidia ei sibi adversarentur, de quibus antea bene meritus esset. Hoc aegre ferebat, se etiam ab illis deseri, a quibus minime sperabat. Quare cum optime se habeat, quod optimi codicis auctoritate nititur, non item quod nunc legitur, reponendum illud est, et recto iudicio reposuit Fridericus Hofmannus in selectis Ciceronis epistulis, quae ex Weidmanni officina Berolini a. 1860 prodierunt. Paulo post idem Hofmannus libro Mediceae bibliothecae largiente *si aliquid esset offensum* iure adscivit, pro illo, quod Orellius scripserat *sin aliquid.* Sed cum eodem fateor me non convenire de emendanda Medicei libri scriptura *optere* in his, quae infra scripsi:

I. 7, 6:

'In hac ratione quid res, quid causa, quid tempus ferat, tu facillime optimeque perspicies: quid nobis placuisset, ex me potissimum putavi te scire oportere.'

Liber igitur Mediceus *optere* habet, quod recte me iudice omnes *oportere* scripserunt (cf. IV. 15), Hofmannus autem *optare* voluit esse. Sed Ciceronem constat *optare* verbo nunquam ita uti, ut sequatur infinitivus, sed semper ita, ut sequatur *ut* particula. Quod unum mihi praesto est exemplum huic usui repugnans Ep. ad fam. X. 20, 3: *quem te et opto esse et confido futurum* id satis habet excusationis a concinnitate, ut quod praeter consuetudinis constantiam certa de causa semel Cicero admiserit, id ne cupidius inferamus cavendum sit.

I. 9, 4:

'Ego me, Lentule, initio rerum atque actionum tuarum non solum meis sed etiam reipublicae restitutum putabam, et quoniam tibi incredibilem quendam amorem et omnia in te ipsum summa ac singularia studia deberem, reipublicae, quae te in me restituendo multum adiuvisset, eum certe me animum merito ipsius debere arbitrabar, quem antea tantummodo communi officio civium, non alicui erga me singulari beneficio debitum praestitissem.'

Ita Tullii verba in editione Orelliana leguntur; sed liber Mediceus habet: *non aliquo erga me singulari beneficio,* quam scripturam cum nihil ea possit esse sanius, exturbare Orellius minime debebat. Declarat enim Cicero se post suum reditum eum animum debere reipublicae ipsius merito, quem antea tantummodo communi civium officio, non singulari aliquo in se beneficio debitum praestitisset. Sunt igitur *merito, communi officio, aliquo singulari beneficio* casus sexti, quos ablativos causae appellaveris; ad *reipublicae* autem dativum tam *debere* quam *debitum praestitissem* referendum est, ut Orellius, qui *alicui singulari beneficio* alterum dativum deprehendere sibi videretur, cum quo *debitum* v. coniungeret, recti iudicii tota via aberraverit.

III. 8, 7:

'Si quis est, qui neminem bona fide in gratiam putet redire posse, non nostram is perfidiam coarguit, sed indicat suam.'

Singulares vocabulorum formae, vel vetustioris aetatis scribendi consuetudine vel familiaris et quotidiani sermonis usu natae, quas Ciceronis epistulae Medicei maxime beneficio sat multas suppeditant, quoniam ita diiudicandae sunt, ut in recipiendis caveatur cupiditas in reiiciendis temeritas, *comarguo,* quod Mediceus habet, et ratione comprobatur et exemplorum similitudine. Principalis enim forma certe *com* fuit, cuius littera extrema, obtusiore sono pronuntiata, insequenti vocali cedebat tam mediis vocabulis quam extremis. In paucissimis tantum non abiecta est ante *e* et *i* vocales: *comes, comedo, comitium, comitor,* quibus, si dis placet, addendum *comarguo,* etsi *m* litterae ante *a* vocalem servatae quod circumspexerim nullum aliud exstat exemplum.

In eadem epistula Orellius *Philomelii* scripsit pro illa forma, quae in Mediceo exstat, *Philomeli,* quarum haec meo quidem calculo probabilior altera est et reponenda erit ei, qui nova aliquando editione genuinas praestantissimi libri scripturas accurata ut par est diligentia repraesentabit.

Confidentius Terentium Eun. III. 3, 13.

Rus Sunii ecquod habeam et quam longe a mari.

Sunii scripsisse negaverim. Quod ut expelleret Bentleius in eum errorem incidit, quem ante hos decem et sex annos Quaestionum mearum Terentianarum p. 19 et 21 his verbis notavi: 'haud raro Bembini praestantiae suorum librorum aut mediocritatem aut pravitatem anteposuit;' quamquam iam Faernus de suis libris parum plene et accurate testatus erat. Illud enim verum, quod dicit: 'Libri antiqui fere omnes *ecquod haberem:* quod magis consequens et praecedentibus et sequentibus verbis est.'

Sed addere omisit in Bembino libro prima manu scriptum esse *SUNI* et alterum *I* altera manu superscriptum. Contra Bentleius: 'Atqui, inquit, illud *haberem* a correctoribus est: Nostri universi *habeam;* et recte. Illa sane tempore praeterito, quia abierant, perierant, nusquam erant: Hoc vero praesenti *habeam,* quia et rus et dominus adhuc supersunt. Porro *Sunio* non *Sunii,* non enim oppidum hic sed regionem notat.'

In his dupliciter erravit vir summus: primum, quod, ut dixi, optimo libro non tantum, quantum debebat, tribuit, ut vel solum ceteris anteponeret omnibus. Quod autem inter Sunium oppidum et Sunium regionem distinguit, regionum, provinciarum, insularum minorum nomina eandem fere legem sequi constat, quam urbium et oppidorum.

Deinde egregie fallitur vir celeberrimus, quod *habeam* formam ideo praefert, quia significet ea, quae adhuc supersunt; quasi vero *haberem* non idem valeret. Annon quod recto sermone dicimus: ecquod rus habes, in oratione obliqua ita efferendum est: rogavit (*'huc evasit'*) ecquod rus haberem? Et, quod Faernus rectissime dicit, magis convenit tam prioribus, quam eis, quae sequuntur: *manerém, mortui essent, haberem, periisset, habuisset, nosset.* Novissimus quidem editor A. Fleckeisenus versum talem, qualem supra posui, constituit, Lachmanni opinor auctoritate motus, qui in Commentario suo in Lucretium p. 328. Terentio *Rus Sunii ecquod habeam* eripiendum esse negat. At quantulae vel audaciae vel operae est lenissima transmutatione versum omnibus numeris absolutum Terentioque dignissimum ita constituere

Rus ecquod Suni haberem, et quam longe a mari.*)

In altera illa, quam Cicero ad Plancium dedit, epistul. IV. 15 hisce eum cohortatur, ut communem fortunam fortiter ferat:

---

*) Haec emendatio, ne post novissimum Fr. Bücheleri praeceptum derelicta a nobis videatur, tribus verbis tuenda est. Is enim in libello suo Grundriss der lat. Declin. inscripto et bonae frugis satis pleno Suni et Sunii formas ita inter se differre existimavit, ut alteram genetivum casum, alteram locativum esse diceret, cf. p. 61. Sed perperam dixit. Nam Terentii aetate oppidorum vocabulorum genitivi casus a locativis forma quidem non differebant. Certe qui locativi casus apud Terentium leguntur Lemni Mileti Rhodi, eos tum quidem nemo iam sentiebat orationis forma differre a genetivis. Cuius discriminis memoriam iam tum abiisse neque eo redarguitur, quod nonnullae formulae, quibus tempus indicatur velut temperi, diequinti diutius manserunt. Accedit quod, ut in litteris Ciceronianis me teneam, Philomeli et hoc loco et XIII, 43 casus locativus est. Denique nititur illud praeceptum duobus tantum locis, quorum alter a nobis certis causis emendatus est, alter Ennianus eiusmodi est, quo nihil omnino fundari possit. Caret igitur illud praeceptum et ratione et fundamento.

'Sed tamen etsi antea scripsi, quae existimavi scribi oportere, tamen hoc tempore breviter commonendum putavi, ne quo periculo te proprio existimares esse; in magno omnes sed tamen in communi sumus.'

Ita libri et impressi et manu exarati. Solus Lambinus, quod *te* pronomen necessarium iudicavit, *te breviter commonendum* scripsit. Sed sani homo iudicii quod *te breviter* quam *breviter te* reponere maluit, veri inveniendi viam sibi praeclusit. Latet enim *breviter* vocabulo id ipsum, quod requirebat, et ipsa se quasi oculis offert emendatio: *brevi te commonendum putavi.*

Multum molestiae creaverunt Orellio Vatinii verba, quae ex Dalmatia ad Ciceronem suum scripsit V. 10, 2, ut denique suam artem desperans illi vocabulo, quod corruptelae sedem iudicasset, crucis signum praefigeret, quo alios ad considerandum invitaret, numquis aliquid emendationis afferret.

'Sed tamen, mi Cicero, quid facere possum? Omnia mehercule cupio, quae tu mi imperas; meam animadversionem et supplicium, quo usurus eram in eum, quem cepissem, remitto tibi et condono. Quid illis respondere possum, qui sua bona direpta, naves expugnatas, fratres, liberos, parentes occisos, actiones expostulant? Si mehercules Appii os haberem, in cuius locum suffectus sum, tamen hoc sustinere non possem. Quid ergo est? Faciam omnia sedulo, quae te sciam velle. Defenditur a Q. Volusio, tuo discipulo: si forte ea res poterit adversarios fugare; in eo maxima spes est.'

Orellius, cum ante eum *actione* legeretur, eam scripturam, quam Mediceus praebet, *actiones* restituit. Hoc autem vocabulum tam inane esse et adeo omni carere sententia putavit, ut quidvis aliud substituere conaretur. Nam suspicatur Ciceronem scripsisse *occisos a Catilio expostulant (scil. mecum).* Fuit enim Catilius ille homo crudelissimus. Quamquam propius accedere potuit ad antiqua Medicei vestigia et coniicere *a Catilio omnes* sive *acriter omnes.* Sed *actiones* tam aperte sincera et genuina scriptura est, ut mirum sit, potuisse id Orellio secus videri. Dalmatae enim sive Illyrii, ut suum ius

tenerent et commissas a Catilio iniurias persequerentur actiones publicas sive criminales a Vatinio postulabant. Et Vatinius quidem quid faceret? Denegaret eis actiones? Debebat certe eis dare potestatem agendi in iudiciis. Sed ait: *defenditur a Q. Volusio:* at in actionibus; *tuo discipulo:* at in actionibus; *si forte poterit adversarios fugare:* certe in actionibus.

Tantum contentionis opus fuit pro vocabulo, quod nunquam Orellius suspectum reddere debebat. Quanquam vel adspexisse hunc locum satis est, ut ita eum emendandum esse intelligas:

'*Quid illis respondere possum, qui sua ob bona direpta, naves expagnatas, fratres, liberos, parentes occisos actiones expostulant.*'

Desperatus fere locus est in illis litteris, quibus Cicero A. Caecinam bene de Caesare sperare iubet VI. 5. 3:

'Ea natura rerum est et is temporum cursus, ut non possit ista aut tibi aut ceteris fortuna esse diuturna, neque haerere in tam bona causa et in tam bonis civibus tam acerba iniuria. Quare ad eam spem, quam extra ordinem de te ipso habemus, non solum propter dignitatem et virtutem tuam — haec enim ornamenta sunt tibi etiam cum aliis communia — accedunt tua praecipua, propter eximium ingenium summamque virtutem, cui mehercules hic, cuius in potestate sumus, multum tribuit.'

Duas Cicero causas affert, quibus adduceretur, ut iam non dubitaret de incolumitate Marcelli; quarum alteram duxit e temporum civilium natura et ratione, alteram ex illa spe, quam de Caecina praecipuam ceperat, e praeclaro et eximio eius ingenio. Alteram autem ubi exposuit, qui potest pergere '*quare ad eam spem, quam extra ordinem de te ipso habemus?*' Erat illa spes, quam ex temporum cursu et rerum natura ducebat, omnibus communis, minime praecipua Caecinae. Sed augetur vitium, adiiciuntur enim verba '*accedunt tua praecipua (ornamenta) propter eximium ingenium summamque virtutem.*' Igitur ad eam spem, quam extra ordinem de te ipso habemus,

accedunt tua praecipua ornamenta; hoc fere est: ad tua praecipua ornamenta accedunt tua praecipua. Falsa haec et absurda. Sed unius dictionis vitium geminum vitium Ciceronis verbis invexit. Quid enim illud *Quare*, cum scriptor in eo esset, ut alteram spem adiungeret? Hoc vere sentiens Orellius in hunc modum disputat: 'Prorsus falsum enthymema inest in v. *Quare*, natum ut opinor ex v. *iniuria*, fortasse etiam *haerere*, ex *Atque* vel *At vero;* tum inter *ra* et *or* excidit *rerum.*'

Paullus autem Manutius in commentario suo haec adnotavit: 'Est omnino inconsequens et obscura locutio: ex quo vereor, ne corrupte totus hic locus legatur. Ac fieri tamen potest, ut ita scripserit Cicero et inciderit in vitium, quod Graeci coλoικoφανὲc appellant.' Nec felicior Madvigius, qui lacunam statuit. cf. Opusc. I. p. 397. Ex his simul apparebit, quid conati sint viri docti ad auferendum malum, ut aliquis Hercules 'Αλεξίκακοc opus esse videatur. Quare, cum Henricum Stephanum commemoravero, qui legendum contendebat: *quare adi eam spem* et *ipsi* non *ipso*, certe non erit cur reliquas, quas alii excogitaverint, machinas longius persequar.

Frequens enim scripturae vitium Medicei libri, quod F. Buechelerus in praeclara sua commentatione: Zur Kritiik der Ciceronischen Briefe in Mus. Rhen. XI. p. 534 sq. notavit et luculentis aliquot exemplis illustravit, hoc est, ut duabus paribus vel litteris vel syllabis insequentibus altera tantum scribatur et grandioribus quidem ut videtur litteris. Conduplicatis igitur duabus D et E litteris ex mendosa scriptura *adeam* prodit genuina *adde eam* et corruptae *Quare* voculae vera forma efficitur *Cui rei*, ut persanata Ciceronis verba sint et hoc modo interpungenda: *Cui rei adde eam spem, quam extra ordinem de te ipso habemus, non solum propter dignitatem et virtutem tuam, haec enim ornamenta sunt tibi etiam cum aliis communia; accedunt tua praecipua* e. q. s.

Gravius scripturae vitium allatum est Ciceronis verbis, quae sunt in illis litteris, quas ad Trebatium dedit, VII, 12

quibusque ei Epicuri sectam iocose dissuadet, praesertim iurisconsulto.

'Mirabar, quid esset, quod tu mihi litteras mittere intermisisses. Indicavit mihi Pansa meus Epicureum te esse factum. — — Sed quonam modo ius civile defendes, cum omnia tua causa facias non civium? Ubi porro illa erit formula fiduciae, VT INTER BONOS BENE AGIER OPORTET? Quis enim est, qui facit nihil nisi sua causa? Quod ius statues COMMVNI DIVIDVNDO, cum commune nihil possit esse apud eos, qui omnia voluptate sua metiuntur? Quomodo autem tibi placebit IOVEM lapidem iurare, cum scias Iovem iratum esse nemini posse? Quid fiet porro populo Ulubrano, si tu statueris, πολιτεύεσθαι non oportere?'

In his iam Manutius fuit, qui de corruptela suspicaretur: 'Et abest, inquit, hoc totum — *Quis enim est, qui facit nihil, nisi sua causa* — a duobus antiquis libris, et mihi quidem satis frigidum videtur; iam cum superioribus formulae verbis qui cohaeret?

Hoc prudenter dubitatum, nisi forte censuit ista verba Ciceroni omnino abiudicanda esse, quae acute inquirentes prorsus necessaria esse intelligimus. Sunt enim quinque continua enuntiata bimembria, quae constant ex interrogativa sententia et insequente altera, qua prior probatur. Altera autem ita ubique comparata est, ut et incipiat a coniunctione causali et ex priore sententia repetitum fere habeat illud verbum, in quo maximum momentum positum est. Iam vide mihi, quam parum his respondeant illa verba, quae in disceptationem vocavimus. Interrogativam enim sententiam: *Ubi porro illa erit formula fiduciae* VT INTER BONOS BENE AGIER OPORTET altera sequitur, qua item interrogatur: *Quis enim est, qui facit nihil nisi sua causa?* Illud autem verbum, cui maximum inest momentum BONOS, frustra quaeris sive ipsum repetitum, sive indicatum pronomine. Orellius quidem neque naturam corruptelae perspexit, neque suam emendationem cuiquam, opinor, probabit. Haec enim in margine posuit: *Fort. Quis enim (bene aget) qui facit cet.*

Ego vero quod alias saepe, id hoc quoque loco factum esse existimo, ut *quis* v. ex duobus verbis *quum is* compendio scribendi coalesceret. Quare mendum facillime ita sustuleris: *Ubi porro illa erit formula fiduciae,* VT INTER BONOS BENE AGIER OPORTET, *quum is minime sit, qui facit nihil nisi sua causa?*

Lib. VII. 23, 2. Cicero Fadio Gallo de signis ipsi comparatis haec rescribit:

'Tu autem ignarus instituti mei, quanti ego genus omnino signorum omnium non aestimo, tanti ista quattuor aut quinque sumpsisti. Bacchas istas cum Musis Metelli comparas. Quid simile? Primum ipsas ego Musas nunquam tanti putassem, atque id fecissem Musis omnibus approbantibus, sed tamen erat aptum bibliothecae studiisque nostris congruens. Bacchis vero ubi est apud me locus?'

Verba *sed tamen erat aptum bibliothecae studiisque nostris congruens* vitiose dicta sunt, quia singularis numerus *erat* verbi peccat in rationem grammaticam. Sermo enim est de signis Musarum, quae apud Metellum erant, et subiectum sententiae subintelligendum est *Musae* v. Accedit, quod in Mediceo codice scriptum est *erant aptum.* Excidit igitur illud verbum, quo Cicero Musas appellavit. Et Orellius quidem coniecit: *erant* ἄγαλμα *aptum bibliothecae,* sed in Latinis subsistere satius duco. Itaque suam Ciceroni manum ita restitui crediderim ut *decus* inseratur post *bibliothecae* vocabulum, cuius extremam partem non inepte suspicabimur nonnihil contulisse ut omitteretur. Scripsit igitur Cicero: *sed tamen erant aptum bibliothecae decus studiisque nostris congruens.*

Levior est et eo ad eluendum facilior macula, quae est in eiusdem libri VII. ep. 26. Cicero enim de morbo suo ex herbarum usu contracto haec ad Gallum:

'Ego autem cum omnes morbos reformido, tum quo Epicurum tuum Stoici male accipiunt, quia dicat στραγγουρικὰ καὶ δυσεντερικὰ πάθη sibi molesta esse, quorum alterum morbum edacitatis esse putant, alterum etiam turpioris intemperantiae.'

Dandum fortasse Manutio, qui contendit, ad sententiam rectius legi *quo Epicurum,* quam *quod Epicurum,* quae scriptura Medicei libri est. Neque tamen ita crediderim pristinam scripturam huic loco ab eodem redditam esse. Inde enim, quod in veterrimo codice *quod* exstat insequente E littera maiuscula, de cuius singulari vi et natura supra dixi, coniecturam facio Ciceronem scripsisse: *quo de Epicurum tuum Stoici male accipiunt.* Illud *quo de* apud Ciceronem quattuor locis, ni fallor, legitur; nam postpositae casui suo praepositionis exemplum, quod erat in oratione de imp. Cn. Pomp. §. 47. Palatini et Erfurtensis codicum auctoritate mutatum est.

Litterarum, quas Cicero ad M. Licinium Crassum dedit, quibusque ei eximium et singulare studium in omni genere officii profitetur, ipso initio haesi, ut debui, et tanquam limen offendere mihi visus sum. Ibi enim V, 8 haec leguntur:

'Quantum meum studium exstiterit dignitatis tuae vel tuendae vel etiam augendae, non dubito, quin ad te omnes tui scripserint. Non enim fuit aut mediocre aut obscurum aut eiusmodi, quod silentio posset praeteriri. Nam et cum consulibus et cum multis consularibus tanta contentione decertavi, quanta nunquam antea ulla in causa, suscepique mihi perpetuam propugnationem pro omnibus ornamentis tuis.' —

Omnibus, quotquot haec ediderunt, neglecta codicis Medicei scriptura est: *Quantum ad meum studium;* solus Orellius Ciceronem scripsisse coniecit: *Quantum adhuc meum studium,* sed coniecturam subtimide in margine posuit. Et recte subdubitavit. Vehementer enim ipsa repugnat sententia, quoniam initio litterarum non id agit Cicero, ut quanta ad id tempus omnino opera et cura sua fuerit absenti Crasso declararet, id quod facit in reliqua epistula, sed ut singulare aliquid factum referret, quo eximium suum erga Crassum studium exsisteret, et certum aliquem diem indicaret, quo eius dignitatem in senatu ita defenderet, ut se ei amicissimum esse senatus populusque Romanus intelligeret. Crassum autem a Cicerone defensum esse certe erat, quod cuncta civitas miraretur, et miratus est cum audisset P. Lentulus proconsul Ciliciae, cui

Cicero rescribit I. 9. 20: *quamobrem eius* (Crassi) *causam, quod te scribis audisse, magna illius commendatione susceptam, defendi in senatu, sicut mea fides postulabat.*' Apparet igitur Ciceronem utroque loco eiusdem rei mentionem facere, eundem indicare diem, quo sua in Crassum voluntas nec obscura nec mediocris exstiterit, quo cum consulibus multisque senatoribus pro Crassi amplitudine decertaverit. Erat ille dies, quo cum alii, tum Domitius Ahenobarbus consul contendebat, ut Crassus revocaretur. Illius diei notationem Cicero addendam putavit. Iam intelligitur quo libri optimi vestigia ducant. Illae duae *ad* litterae, ex temporis mentione solae relictae, cum, ne sententia prorsus carerent, in unam vocem coivissent, punctis rursus diiungendae sunt, ut significent *ante diem.* Cuius diei memoria cum et hoc loco interciderit, nec aliunde supersit, initium epistulae ita scribendum est:

Quantum a. d. *** *meum studium exstiterit* e. q. s.

Manifesto et gravi mendo corrupta sunt quae leguntur VIII. 13: 'Transierunt illuc, ut ratio esset eius habenda, qui neque exercitum, neque provincias traderet. Quemadmodum hoc Pompeius laturus sit, cum cognoscat, quidnam reipublicae futurum sit, si *** aut non curet, vos senes divites videritis.' Res haec est: postulaverat Caesar, ut cum ex Gallia decedere nollet, sui absentis ratio haberetur in petitione consulatus. Id senatus frequens probavit. Pompeius, quanquam unus omnium maxime timebat, ne Caesar consul designaretur priusquam exercitum et provinciam tradidisset, tamen non ausus est eum impugnare. Quare Caelius se nescire ait, quemadmodum hoc Pompeius, si aut praesens in senatu non impediat, aut absens non curet, laturus sit. Itaque consideranti mihi, quid duorum vocabulorum *non impediat* loco apte in sententiam includi possit, et attendenti ad libri Medicei frequens errandi genus verisimillimum videtur Caelium scripsisse: *si sinat aut non curet.* Verumtamen hanc coniecturam subtimide feci, sola fere nitens ratione argumentationeque, nec ut eam cum ceteris, quas protuli, emendationibus prorsus eodem loco haberi velim. Id enim Caelii ingenium scribendique genus est, quod a Tul-

liano mirum quantum discrepet. Quapropter in octavo Ciceronis epistularum libro magis etiam quam in ceteris dolendum est non plenam nos et accurate collatam Florentini libri scripturam habere, cum fide indicatis quae oblitterata, erasa, correcta, superscripta sint.

Libri IX. ep. 4. de Varronis adventu ex Diodori τοῦ διαλεκτικοῦ sententia Cicero haec iocatur: 'Περὶ δυνατῶν me scito κατὰ Διόδωρον κρίνειν. Quapropter si venturus es, scito necesse esse te venire; sin autem non es, τῶν ἀδυνάτων est te venire. Nunc vide, utra te κρίσις magis delectet, Χρυσιππείαne an haec quam noster Diodotus non concoquebat.' In his et aperiendum et tollendum mendum est in eo vocabulo, quod omnes editores scripserunt Χρυσιππεία*ne*, non quod offendar forma tanquam bilingui, quanquam Cicero, tot graeca intermiscens latine scriptis, utriusque linguae vocabula fere nunquam ita inter se iunxit et copulavit, ut in unam vocem conflata esse viderentur. Cuius rei (*Pseudocatone* ad Att. I. 14. 6. et *facteon* ib. I. 16. 13. consulto omitto, ut quae aliter iudicanda sint) tria tantum exempla exstant: ad Att. XIII. 51: πρὸς ἴσον ὅμοιόνque; ib. XV. 13: προσφωνοῦμενque; de Deor. nat. II. 20. 52: Φαίνωνque; quare quod Cicero in *que* particula fecit, idem in *ve ne* facere potuisse iure dixeris. Sed veram scripturam aperit Mediceus codex, in quo latinis litteris exaratum est: *Chrysippias haec.* Properabo ad correctionem, nam sponte intelligitur una littera mutata Ciceronem scripsisse *Chrysippi an haec.* Praeterea delenda mendosa illa scriptura est in interpretatione verborum graecorum p. 58 et 114 indicis Graeco-Lat. ab Orellio confecti.

In litteris, quas Cicero ad Varronem scripsit, libri IX. 6 plura insigniter corrupta emendanda sunt, quorum initium capiam a re pusilla, sed cuius emendatio certissima est:

'Scio te semper mecum in luctu fuisse, cum videremus — extremum malorum omnium esse civilis belli victoriam, quam quidem ego etiam illorum timebam, ad quos veneramus. Crudeliter enim otiosis minabantur, eratque iis et tua invisa voluntas et mea oratio.'

In his etsi nullum latentis vulneris indicium eminet, tamen aegrotare aliquid Medicei libri ipsius scriptura cognoscitur. Habet enim codex *otiosis si minabantur*, quod iniuria spreverunt editores. Nam una syllaba geminata et *s* litterula addita efficitur quod Cicero scripsit: *otiosissimis minabantur*.

Sed in eadem epistula aliud et gravius vulnus sanandum est, haec enim, quae infra scripsi, ad nostram aetatem edita sunt: Sed plus facio, quam Caninius mandavit. Is enim, si quid ego scirem rogarat, quod tu nescires: ego tibi ea narro, quae tu melius scis, quam ipse, qui narro.'

Mediceus codex habet: *mandavit. iure enim.* Quid autem significare dicamus: rogarat si quid ego scirem? Num forte: er hatte mich gefragt, ob ich etwas wüsste? At ita nemo Romanus unquam dixit. Certe cum verbis exspectandi et experiendi coniuncta *si* particula significare potest *ob*. Neque omnino Caninius ex Cicerone quaesivit, numquid novi haberet; sed ut ait Cicero initio litterarum: '*Caninius noster me tuis verbis admonuit, ut scriberem ad te, si quid esset, quod putarem te scire oportere.*' Desideratur igitur sententia, quae pendet a verbo rogarat. An vertendum est: Er hatte mich gebeten, wenn ich etwas wüsste? At idem illud desideratur, quod Caninius rogarat: ut scriberem. Accedit quod vix credibile est Florentini libri vestigiis *iure* nihil aliud quam *is* subesse. Neque id fugit Orellium, sed quod aliquando coniecit: *ut scriberem enim, is, siquid,* in hoc ei coniectura minus feliciter successit. Quare mendum ita tollendum censeo: *Sed plus facio, quam Caninius mandavit. Scriberem enim, si quid ego scirem, rogarat, quod tu nescires.*

Sed extrema epistulae verba, quae diu torserunt doctorum hominum ingenia, etiamnunc exspectant, ut remedium sibi afferatur. 'Faciam ergo illud, quod rogatus sum, ut eorum, quae temporis huius sint, quae † tua audiero, nequid ignores.' Et Victorius quidem *quaeve* coniecit, quem occultandi magis quam sanandi conatum dixeris; ceterorum coniecturas iam Orellius in priore editione refutavit, sed quod ipse in medium confert: *quae tuta audiero,* id etiam difficilius est ad persua-

dendum. Quis enim unquam, qui latine pure et ex veterum Romanorum usu et consuetudine locutus est, tutum dixit, quod certum est? Equidem vix vereor, ne coniectura aberraverim si Ciceronem haec scripsisse suspicor: *Faciam ergo illud, quod rogatus sum, ut eorum, quae temporis huius sint, quacunque via audiero, ne quid ignores.'*

Parvo incommodo, sed quod allato adiumento etiam maius factum est, ea laborant, quae IX. 18. leguntur: 'Sed quoniam, ut video, aestimationes tuas vendere non potes, neque ollam denariorum implere, Romam tibi remigrandum est.'

Ita Orellius et post eum editores Turicenses; antea legebatur: *sed quando, ut video.* Mediceus codex habet: *Sed quomodo video* quod sine dubio corrigendum est: *Sed quoquomodo video,* qui error etiam sublatus est V, 20. in. Haec geminata pronominis forma quam frequens apud Ciceronem sit, hi loci, quos infra posui, testes sint:

Ep. ad Fam. I. 5. a: quoquomodo se res habet
ib. IV. 12: (Servius ad Cic.) quoquomodo res se haberet
ib. V. 20: quoquomodo potuissem te convenissem
ib. IX. 6: ut quoquomodo in tali re atque tempore aut liberarem te ista cura, aut certe levarem
ib. VIII. 37: quoquomodo autem se res habet
ib. XIV. 4: quoquomodo potes ad me fac venias
ib.: sed certe quoquomodo se res habebit
ad Att. IX. 2: quoquo tempore fuerit
ib. VIII. 3: quoquomodo ea res huic quidem cecidit
ib. XV. 4: quoquo modo ego de illius nervis existimo
pro Rabir. 21: quoquo consilio fecit
d. leg. agr. II. 70: quoquo pretio coëmptus erit
ad Quint. frat. I. 2. 4: Tu quoquomodo — hominem investiges velim
Phil. VI. 19: quem tulimus, quoquo modo ferendus fuit
pro Mil. 93: quoquo modo erit merita de me
in Verr. act. sec. II. 70: quoquo modo se in ea quaestione praebebat
ib. V. 38: tu cum esses praetor renuntiatus — quoquo modo

ib. V. 89: quoquomodo res se habebat

pro Lig. 23: Sed quoquo modo se illud habet.

Aperte corrupta sunt quae IX. 20 leguntur, quibus in litteris per multa ioca totum se Epicureum factum esse Cicero Paeto suo narrat: 'In Epicuri nos adversarii nostri castra coniecimus. — Proinde te para: cum homine et edaci tibi res est, et qui iam aliquid intelligat; ὀψιμαθεῖς autem homines scis quam insolentes sint. Dediscendae tibi sunt sportellae et artolageni tui. Nos iam † ex artis tantum habemus, ut Verrium tuum et Camillum — qua munditia homines! qua elegantia! vocare saepius audeamus.'

Mediceus liber habet: *ex artis tantum*, quod scripturae vitium quam variis modis eluere conati sint eruditi homines, cum nemo eorum coniiciendo verum assecutus sit, ex margine editionis Orellianae huc transferre piget. Sola commemoranda H. Buschii coniectura est, novissime facta in Philol. 25. 2. p. 852 sq.: *nos iam exercitationis tantum;* qui cum non magis quam ceteri rem, quod aiunt, acu tetigisse videatur, nostram emendetionem eamque nudam ponamus, ut quae evidens per se satis habeat praesidii. Nam, quod codicis frequentissimum erroris genus est, una littera *e* adiecta et priore syllaba alterius vocabuli geminata id efficitur quod Cicero scripsit: *Nos iam ex arte ista tantum habemus ut* —

Vetere errore liberandus locus est, qui in litteris est, quas Cicero ad eundem Paetum scripsit IX, 24, ubi hodieque haec leguntur: 'Quamobrem iste tuus amicus apud me commendatione non eget. Utinam ea fortuna rei publicae sit, ut ille me quam gratissimum possit cognoscere!' Corrigendi mendi viam Mediceus liber ostendit; non enim habet *me quam* sed *meum*, ex qua una voce duabus factis *me.um* id eruitur, quod Cicero scripsit: '*ut ille me unum gratissimum possit cognoscere.*' Et *unius* pronominis superlativo, ut excellentia augeatur, adiecti quam frequens apud Ciceronem usus sit, locorum, quos infra scripsi, copia argumento sit.

ad Fam. I. 9. 16. qui de uno acerrimo et fortissimo viro, meoque iudicio omnium magnitudine animi et constantia

praestantissimo Q. Metello L. F. quondam falsam opinionem acceperunt.

ib. IV. 8: Neque monere te audeo praestanti prudentia virum nec confirmare maximi animi hominem unumque fortissimum.

ib. IV. 13: nunc P. Nigidio uni omnium doctissimo et sanctissimo — ne benigne quidem polliceri possum.

ib. V. 16: Etsi unus ex omnibus minime sum ad te consolandum accommodatus.

ib. XIII. 45: L. Egnatio uno equite Romano vel familiarissime utor.

ib. XV. 16: Quamquam quicum loquor? Cum uno fortissimo viro.

Lael. I. 1: Quo mortuo me ad pontificem Scaevolam contuli, quem unum nostrae civitatis et ingenio et iustitia praestantissimum audeo dicere.

de orat. III. 8: ut unus ad dicendum instructissimus a natura esse videatur.

pro Plancio 41: urbem unam mihi amiscissimam declinavi.

pro Scauro 1. 5: Quem unum ex omni memoria sceleratissimum et audacissimum fuisse accepimus.

pro Sestio 62: uni viro fortissimo et praestantissimo civi gratissimum.

ib. 63: a quo uno maxime P. Sestius se oppugnari videt.

ib. 67: qui unus omnium iustissimus fuisse traditur.

Philipp. II. 3: cum uno gladiatore nequissimo.

Tusc. disp. II. 26: unam esse omnium rem pulcherrimam.

ib. III. 16: quae cogitatio una maxime molestias omnis extenuat.

ib. III. 33: id genus aegritudinis, quod unum est omnium maxumum.

ib. IV. 25: unam rem maxime detestabilem.

ib. V. 23: sui civis unius acutissimi monumentum.

ib.: qui es unus suavissimus pastus animorum.

Rarior hic usus pronominis superlativi vim amplificantis apud Livium est, cf. Fabri. ad Liv. XXII. 22. Cum comparativo

posterior demum aetas coniunxit; cf. Senec. Controv. 3. 18: ut illum versum, quo aiebat unum meliorem inveniri non posse.

Verba Ciceroris, quae X. 14 leguntur, in quibus aliquid pravi subesse iam diu cognitum est, in editione Orelliana ita constituta sunt: 'Equidem exspectabam iam tuas litteras idque cum multis; sperabamque etiam Lepidum rei publicae temporibus admonitum tecum et cum republica esse facturum.' Haec scriptura, cum Mediceus liber habeat: *tecum et reip. esse facturum* probabilior sane est, quam illa, quae antea in libris erat: *tecum et rei publicae satis esse facturum;* minus etiam probabile, quod Manutio in mentem venit: *tecum esse facturum et reipublicae satis,* vel quod Graevius omissis duobus *et reipublicae* vocabulis legendum censuit: *tecum esse facturum.* Sed ut in Orelliana scriptura nihil desit ad rectum et commodum sermonem, tamen propius accedere posse ad Medicei codicis memoriam, eamque una litterula adiecta ad integritatem revocare mihi videor: *tecum et e republica esse facturum.*

Ad Plancum, qui agris dividundis se praefici cupiebat, haec Cicero X. 22: 'Quod ad me scripseras de re agraria, si consultus senatus esset, ut quisque honorificentissimam de te sententiam dixisset, eam secutus essem; qui certe ego fuissem.' Confusa haec; quae Graevius ut ordinaret, cum *qui* pronomen sede sua motum esse recte vidisset, hunc in modum correxit: *ut quisque honorificentissimam de te sententiam dixisset, qui eam secutus esset, certe ego fuissem.'* Sed neglexit ille grammaticae praeceptum, ut persona verbi in enuntiatione relativa consentiat cum subiecto principalis sententiae; cf. huius libri epistulam 31: 'quare eum me existima esse, qui primum pacis cupidissimus sim, — deinde qui et me et rempublicam vindicare in libertatem paratus sim.' Scribedum igitur: *ut quisque honorificentissimam de te sententiam dixisset, qui eam secutus essem certe ego fuissem.'*

Occultius mendum, quod Medicei codicis scriptura non arguitur, et aperiendum et tollendum est in Ciceronis litteris ad Cassium XII, 7: 'Id velim mihi ignoscas, quod invita tua socru fecerim. Mulier timida verebatur, ne Pansae animus

offenderetur. In contione quidem Pansa dixit matrem quoque tuam et fratrem illam a me sententiam noluisse dici. Sed me haec non movebant; alia malebam. Favebam et reipublicae, cui semper favi et dignitati ac gloriae tuae.'

In his miror non offendisse quemquam verbum *malebam.* An Ciceronis agitur voluntas? Quid tandem Cicero praeoptaret? Nihil certe; sed in concionando potiorem sibi fuisse dicit reipublicae salutem Cassiique dignitatem, quam Serviliam mulierculam, timentem, ne Pansae animus offenderetur. Quare tibi quovis pretio spondeo Ciceronem scripsisse: '*Sed me haec non movebant, alia valebant.*'

Litterarum, quas Cicero ad Caesarem scripsit, initium pluribus incommodis adfectum iam diu doctis hominibus negotium facessit. Hi autem neque perviderunt omnia, neque ita castigaverunt, ut nihil nobis reliqui facerent. Ita enim XIII. 16. editores Turicenses verba exhibuerunt: 'P. Crassum ex omni nobilitate adolescentem dilexi plurimum, et ex eo cum ab ineunte eius aetate bene speravissem tum † per me existimare, coepi [ex] iis iudiciis, quae de eo feceras, cognitis.'

Lambinus coniecit: *tum optime existimare coepi,* Schützius: *tum perbene existimare c.* Sed alia est difficultas, quod in codice Mediceo legitur *ex iis.* Quis enim unquam ita locutus est? Potuit Cicero dicere aut: *iis iudiciis, quae de eo feceras cognitis,* aut: *ex iis, quae de eo feceras, iudiciis,* non potuit: *ex iis iudiciis, quae de eo feceras, cognitis.* Mitto duriorem videri *ex* praepositionem, cum eadem bis proxime antecedat, quapropter ab aliis editoribus expulsa est ab Orellio autem uncis inclusa. Sed non praetermittendum duco Mediceum codicem hic praeter consuetudinem *iis* habere, non *eis,* unde perspicitur natum *iis* pronomen esse ex terminatione adiectivi in priore parte depravati. Ecquis est igitur, cui dubium videri possit, quin certissima et elegantissima emendatione scribendum sit *eximiis?* Haec igitur Cicero: *P. Crassum ex omni nobilitate adolescentem dilexi plurimum, et ex eo cum ab ineunte eius aetate bene speravissem, tum nuper optime existimare coepi eximiis iudiciis, quae de eo feceras cognitis.*' *Nuper* autem

emendavimus pro mendosa scriptura Medicei libri *per*, ut et temporis significatio in utroque enuntiationis membro sibi respondeat *(ab ineunte aetate—nuper)* et ut ratio habeatur errandi generis, quod identidem in optimo libro notavimus *(um - nu)*.

Manifesto mendo corrupta vulgo putantur, quae XIII. 69. leguntur: 'Haec ad te eo pluribus scripsi, ut intelligeres me non † vulgare nec ambitiose sed ut pro homine intimo ac mihi pernecessario scribere.'

Mediceus codex *vulgare* praebet, *vulgariter*, quod vulgo legebatur, antiqua correctio est. Sed videndum puto, ne *vulgare* vocabulum immerito in suspicionem vocatum sit, et sana attrectaverint editores. Vulgare enim etiam infinitivus verbi esse potest, ut significet vulgo dare, vulgo tribuere. Id ut credam ipsius Ciceronis verbis adducor. Nam ille ad eundem Servilium in ea, quae proxime sequitur epistula XIII. 70. haec scripsit: 'Quia non est obscura tua in me benevolentia, sic fit, ut multi per me tibi velint commendari. Ego autem tribuo nonnunquam in vulgus, sed plerumque adversariis, ut hoc tempore.' Viden utroque loco eandem rem narrari? Viden utrumque verbum absolute dici, non indicata re, quae in vulgus tribuitur et vulgatur? Nonne simillimum veri vulgare idem declarare, quod in vulgus tribuere? An rationi repugnat? At quemadmodum vulgare corpus dicebatur, ita ad hanc similitudinem etiam vulgare studium, operam, gratiam, commendationem latine dixeris. Quare in litteris commendaticiis absolute dici vulgare sive in vulgus tribuere rationi sane convenit. Certe singularis hic verbi usus, nec cum ferme vicies apud scriptores reperiatur, alioquin hoc verbum absolute positum est. Significat enim sive rem in vulgus spargere, communem facere, propagare, sive in vulgus enuntiare, proferre patefacere; quam significationem principalem esse demonstrant verba composita: evulgare, divulgare, pervulgare, provulgare, et substantivum vulgator; denique idem valet, quod in lucem edere, publici iuris facere. Hisce haud scio an addendus sit simplex et absolutus usus verbi, ut vulgare, quemadmodum

in vulgus tribuere in litteris maxime significet: unumquemque commendare, opera, studio, gratia, commendatione neminem non adiuvare; Jedermanns Fürsprecher sein; jedem mit seinen Empfehlungen zu Diensten stehn. Huic nostrae disputationi si credatur — ipse enim ut omnibus persuaserim vereor — locus Ciceronis ita intelligendus est: Ich habe dir dies ausführlicher auseinandergesetzt, damit du einsiehst, dass ich nicht jedermann einen Empfehlungsbrief ausstelle, auch nicht aus Eitelkeit schreibe, sondern für einen Mann, der mit mir aufs Innigste vertraut ist und mir sehr nahe steht.

Auxilium ferendum est elegantissimis Ciceronis verbis ep. XV. 20: Tu mi Treboni, quoniam ad amorem meum aliquantum olim discedens addidisti, quo tolerabilius feramus igniculum desiderii tui, crebris nos litteris appellato: atque ita, si idem fiet a nobis.'

Medicei codicis scriptura est, quam supra posuimus: *aliquantum olim discedens.* Sed *olim* vocabulum non levem habet difficultatem, quod litterae brevissimo tempore postquam Trebonius in Asiam provinciam profectus est, scriptae sunt. Is enim cum Cassio Mense Augusto a. 710 Italiam reliquerunt, ut in Syriam provinciam irent, Ciceronis autem litterae eodem anno scriptae sunt. Quod cognoscitur ex ipsius Ciceronis verbis, pergit enim: 'Nunc haec primo cupio cognoscere; iter tuum cuiusmodi sit; ubi Brutum nostrum videris, quamdiu simul fueris; deinde cum processeris longius, de bellicis rebus de toto negotio, ut existimare possimus, quo statu simus.' Hoc iam ante tria paene saecula vidit Manutius, idcirco ei 'placuit *aliquantulum,* cum *olim* locum non habeat.' Sed aliud accedit incommodum, quod miror neminem adhuc sensisse. Quid enim hoc: *ad amorem meum aliquantum discedens addidisti?* Cuius rei? quaeso; amorisne? Sed quid hoc: ad amorem meum aliquantum amoris addidisti? Horridum profecto et incultum dicendi genus, quod decus et lumen eloquentiae Ciceronem non olet. Hactenus igitur inquirendo rimandoque id consecuti sumus, ut et *olim* vocabulum corruptum esse et eius loco aliud in casu genetivo desiderari

intelligeremus, quod quale sit ut feliciter eruamus proximam oculis perlustremus epistulam ad eundem Trebonium scriptam. Neque enim raro fit, ut Cicero in litteris vel eodem tempore vel ad eundem hominem scriptis sententiam aliquam ita repeteret, ut non dico voces quasi exhausto copiae ubertatisque fonte iteraret, sed ut eandem comparationem adhiberet, vel eadem uteretur translatione, ut alia verba aliis nonnihil lucis afferre possint. Ait igitur XV. ep. 21: 'Et epistulam tuam legi libenter et librum libentissime; sed tamen in ea voluptate hunc accepi dolorem, quod cum incendisses cupiditatem meam consuetudinis augendae nostrae — nam ad amorem quidem nihil poterat accedere —, tum discedis a nobis meque tanto desiderio afficis, ut unam mihi consolationem relinquas, fore ut utriusque nostrum absentis desiderium crebris et longis epistolis leniatur.' Viden Ciceronem in duabus litteris eadem uti figura: igniculum desiderii, incendere cupiditatem? Num igitur, ut plena fiat translatio pro *olim* aliud desideratur vocabulum quam *olei?* Numquid aliud scripsit Cicero quam: Tu, mi Treboni, quoniam ad amorem meum aliquantum olei discedens addidisti, quo tolerabilius feramus igniculum desiderii tui, crebris nos litteris appellato.' —?

Maior corruptela emendanda nobis relicta est XVI. 3. ep., ubi Tironi suo valetudinis curam hisce commendat: 'Tu si nos omnes amas et praecipue me, magistrum tuum, confirma te. Ego valde suspenso animo exspecto, primum te scilicet, deinde Marionem cum tuis litteris. Omnes cupimus, ego in primis, quam primum te videre; sed, mi Tiro, valentem. Quare nihil properaris: satis † quotidie videro, si valebis.' Locus suspectus fuit Ernestio, qui *satis cito te videro si valebis* correxit et persuasit Baitero, non item Orellio, qui coniecit: *satis, quo te die videro, si valebis.* Quorum alterum nimis longe deflexisse a codicum memoria dixeris, alterum duriorem effecisse Ciceronis sermonem. Corrigendi viam demonstrant ea, quae insequenti epistula ad eundem Tironem scripta leguntur: *Satis te mature videro, si plane confirmatum videro.* Itaque coniecturam non fefellisse me puto Ciceronis verba ita restitu-

entem: '*Quare nihil properaris: satis propinquo te die videro, si valebis.*'

Haud leve vulnus insidet in eis litteris, quas Q. Cicero ad Tironem scripsit XVI. 8, quod sanari plurimum interest, ut et fortissimo duci sua vetus reddatur scriptura et simul intelligatur, quid, cum idem tragoedias scripsisset et a Marco fratre non vulgare tulisset testimonium in istius generis scribendo se priores partes ei tribuere, quam sibi, (ad Q. Fr. 3. 4. 4.) de Euripide senserit, cuius versum laudat:

ψῦχος δὲ λεπτῷ χρωτὶ πολεμιώτατον.

Deinde pergit: 'Cui tu quantum credas nescio. Ego certe singulos eius versus singula † eius testimonia puto.' Hoc corruptum esse Orellius vidit. Sed mirum est, semel iterumque eum in correctione ad graeca confugisse et primum *singula* σοφίας *testimonia* alterum *singula* ἀληθείας *testimonia* proposuisse. Quasi vero Q. Cicero non commodius dicere potuerit: singula sapientiae vel veritatis testimonia. Neque probabilior fit haec emendandi ratio, quod Cicero versum Euripideum graece citavit, vel quod initio litterarum ait de Tironis infirma valetudine ἀκίνδυνα μὲν χρονιώτερα δὲ sibi nuntiari ab eis, qui ex Graecia venirent; sunt certe haec verba Sylonis medici graeci. Sed sententia Orellium non fefellit, quae nulla alia esse potest quam: plurimum apud me valet Euripides, cuius versibus quidquid comprobatur, id amplissimo comprobatur testimonio, vel ut cum Cicerone loquar: cuius singulos versus singula et vera testimonia puto. Quodsi recte perspeximus, videndum est quo pacto id coniectando assequamur et quasi eliciamus ex corruptelae ductibus *eius*, vel potius pro solita Medicei libri errandi consuetudine ex depravatis vestigiis *eiuste.* Iam vide mihi quam sponte subnascatur emendatio certissima: *et iusta.* Itaque recta omnia hunc in modum: *Ego certe singulos eius versus singula et iusta testimonia puto.*

Haec sunt, quae de emendandis Ciceronis Epistulis ad Familiares litteris breviter consignaveram. Postremo, priusquam coronidem appingam, cum diu multumque a viris doctis disceptatum sit, quis ille Cassius fuerit, qui litteras XII, 13.

ad Ciceronem ex Asia dederit, accuratius inquirendo conemur, ut, convulsa quae hodie fere tenet opinione, suum illis auctorem vel rectius vel certius assignemus.

C. Cassius Q. S. D. M. Ciceroni.

1. S. V. B. E. V. Cum rei publicae vel salute vel victoria gaudemus, tum instauratione tuarum laudum, quod maximus consularis maximum consulem te ipse vicisti, et laetamur et mirari satis non possumus. Fatale nescio quid tuae virtuti datum, id quod saepe iam experti sumus. Est enim tua toga omnium armis felicior; quae nunc quoque nobis paene victam rem publicam ex manibus hostium eripuit ac reddidit. Nunc ergo vivemus liberi; nunc te, omnium maxime civis et mihi carissime — id quod maximis rei publicae tenebris comperisti —, nunc te habebimus testem nostri et in te et in coniunctissimam tibi rem publicam amoris; et quae saepe pollicitus es te et taciturum, dum serviremus, et dicturum de me tum, cum mihi profutura essent, nunc illa non ego quidem dici tanto opere desiderabo quam sentiri a te ipso. Neque enim omnium iudicio malim me a te commendari, quam ipse tuo iudicio digne ac mereor commendatus esse; ut haec novissima nostra facta non subita nec convenientia, sed similia illis cogitationibus, quarum tu testis es, fuisse iudices meque ad optimam spem non minimum tibi ipsi producendum putes. 2. Sunt tibi, M. Tulli, liberi propinquique digni quidem te et merito carissimi; esse etiam debent in republica proxime hos cari, qui studiorum tuorum sunt aemuli, quorum esse cupio tibi copiam: sed tamen non maxima me turba puto excludi, quo minus tibi vacet me excipere et ad omnia, quae velis et probes, producere. Animum tibi nostrum fortasse probavimus; ingenium diutina servitus certe, qualecunque est, minus tamen, quam erat, passa est videri. 3. Nos ex ora maritima Asiae provinciae et ex insulis, quas potuimus naves deduximus; delectum remigum, magna contumacia civitatium, tamen satis celeriter habuimus; secuti sumus classem Dolabellae, cui Lucilius praeerat; qui spem saepe transitionis prae-

bendo neque unquam non decedendo novissime Corycum se contulit et clauso portu se tenere coepit. Nos, illa relicta, quod et in castra pervenire satius esse putabamus et sequebatur classis altera, quam anno priore in Bithynia Tillius Cimber compararat, cui Turullius quaestor praeerat, Cyprum petivimus. Ibi quae cognovimus, scribere ad vos quam celerrime voluimus. 4. Dolabellam ut Tarsenses, pessimi socii, ita Laodiceni multo amentiores ultro arcessierunt; ex quibus utrisque civitatibus, Graecorum militum numero, speciem exercitus effecit.

Castra habet ante oppidum Laodiceam posita et partem muri demolitus est et castra oppi.. coniunxit. Cassius noster cum decem legionibus et cohortibus viginti auxiliariis et quattuor milium equitatu a milibus passuum viginti castra habet posita Πάλτῳ, et existimat se sine proelio posse vincere. Nam iam ternis tetradrachmis triticum apud Dolabellam est. Nisi quid navibus Laodicenorum supportarit, cito fame pereat, necesse est; ne supportare possit, et Cassii classis bene magna, cui praeest Sextilius Rufus, et tres, quas nos adduximus, ego, Turullius, Patiscus, facile praestabunt. Te volo bene sperare et rem publicam, ut vos istic expedistis, ita pro nostra parte celeriter nobis expediri posse confidere. Vale.

Data Idibus Iun. Cypro, a Crommyu-acride.

Schützius in margine editionis suae ita disputat: 'Quis hic Cassius fuerit incertum est. Frater C. Cassii procos. Quintus esse non potest. Hic enim Hispaniam sortitus erat. Fuerunt qui Cassium Parmensem putarent, quem Appianus de B. C. V, 1. a. 711 a Bruto et Cassio in Asia relictum esse perhibet, cuius tamen opinionis nullum subest fundamentum. Probabilius est esse L. Cassium, Cassii Procos. ex fratre nepotem, quem narrat Appianus libro IV. de B. C. in proelio Philippensi data opera usque ad necem pugnasse. Nam quod Strothio in mentem venit, hanc epistolam a Lentulo scriptam esse, eodem cuius sunt epistulae 14. 15. huius libri, id propterea admitti non potest, quod Lentulus ille a. d. IV.

Non. Iun. Pergae in Pamphylia illas epistolas dedit, scripsitque sibi propositum esse totam provinciam ad exigendas pecunias percurrere, ideoque nullo modo potest Idibus Iuniis in Cypro fuisse.' In his Schützius erat, quod L. Cassium Cassii Procos. ex fratre nepotem dixit; immo errat filius L. Cassii, fratris C. Cassii τυραννοκτόνου. Ab hoc autum Drumannus negat has litteras scriptas esse. Dicit enim II. p. 153: Der Brief, in welchem ein Cassius im Juni 43 über seine Unternehmungen zur See an Cicero berichtet, wird ihm mit Unrecht zugeschrieben; aus mehreren Gründen scheint Cassius Parmensis der Verfasser zu sein. Als sein Oheim, der Befreier, sich in diesem Jahre mit Brutus vereinigen wollte, liess er ihn ohnerachtet seiner Jugend als Statthalter in Syrien zurück, weil er auf seine Treue rechnen konnte. Bald aber folgte er dem Heere, um an dem Kampfe Theil zu nehmen. Mit dem Ungestüm eines für die Freiheit begeisterten Jünglings stürzte er sich bei Philippi in die Feinde und suchte und fand den Tod in der zweiten Schlacht. Et ibidem p. 162. de Cassio Parmensi: Dieser gehörte zu Cäsars Mördern (Tac. A. 4. 21. Hieron. in Euseb. chron.) und befehligte a. 43 eine Abtheilung der Flotte, welche C. Cassius im Kriege mit Dolabella in Syrien verstärken sollte. Wir besitzen seinen Brief an Cicero, worin er über seine Unternehmungen an der Seeküste Asiens berichtet, und für dessen Verfasser nicht Lucius Cassius der Neffe jenes anderen (scil. τυραννοφόνου) gelten kann. Denn Lucius war noch sehr jung; ihm geziemte es nicht, in dem Tone an den Redner zu schreiben, oder den Oheim 'unsern Cassius' zu nennen. Dazu kommt, dass wir den Parmenser zur Zeit der Schlacht bei Philippi in den Gegenden finden, auf welche der Brief sich bezieht.' Haec Drumannus. Nos autem, priusquam nostram interponamus sententiam, in ipsa verba accuratius inquiramus, ut, si fieri possit, ex litterarum indole et natura certius iudicare possimus, utrum Cassius Parmensis, an L. ille Cassius admodum iuvenis, cuius patruus C. Cassius τυραννοφόνος erat, scripserit.

'Cum rei publicae vel salute vel victoria gaudemus, tum in-

stauratione tuarum laudum, quod maximus consularis maximum consulem te ipse vicisti, et laetamur et mirari satis non possumus.'

Grandia vero verba et ingens testimonium, quod sine ulla haesitatione negaverim Ciceronem sive ab aequalium ullo alio tulisse, sive laturum esse a nostra aetate. Num haec adultam aetatem, confirmatam mentem significant? An potius exuberantis ingenii sunt et admiratione exsultantis, et parum moderati?

'Fatale nescio quid tuae virtuti datum, id quod saepe iam experti sumus. Est enim tua toga omnium armis felicior, quae nunc quoque nobis paene victam rem publicam ex manibus hostium eripuit ac reddidit.' Itane vero? Illo tempore, quo omnia ad vim et arma spectabant, et res in extremum adducta erat discrimen, tantum valuisse Ciceronis vel optimas sententias vel magnifica verba? Cicero modestius de semet ipso loquitur; scribit enim ad Cassium XII. 2: 'Vehementer laetor tibi probari sententiam et orationem meam, qua si saepius uti liceret, nihil esse negotii libertatem et rem publicam reciperare. Sed —' XII. 10: Persuade tibi igitur in te et in Bruto esse omnia; ibid. 9. Itaque tibi persuade maximam reipublicae spem in te et in tuis copiis esse; ib. 10 arbitratur 'eum in Italiam venire cum exercitu' ibid. 3. 'spes in tua virtute est. Sed ubi sunt copiae? Quid enim est, quod contra vim sine vi fieri possit?'

Num igitur verba illa ab alio scripta esse possunt, nisi ab eo, qui temporis sui rationem et naturam parum perspexerat, et recens a lectione Philippicarum orationum iuvenili quodam ardore abripiebatur?

'Nunc ergo vivemus liberi: nunc te omnium maxime civis et mihi carissime, id quod maximis rei publicae tenebris comperisti, nunc te habebimus testem nostri et in te et in coniunctissimam tibi rempublicam amoris.'

Misere divinavit quicunque haec scripsit, sed verba ipsa vide mihi quam sint inepte cumulata, quam ad pompam ac-

commodata. Quod immodicum dicendi genus nonne puerum arguit?

'et, quae saepe pollicitus es te et taciturum, dum serviremus et dicturum de me tum, quum mihi profutura essent: nunc illa non ego quidem dici tanto opere desiderabo, quam sentiri a te ipso. Neque enim omnium iudicio malim me a te commendari, quam ipse tuo iudicio digne ac mereor commendatus esse: ut haec novissima nostra facta non subita nec convenientia, sed similia illis cogitationibus, quarum tu testis es, fuisse iudices meque ad optimam spem patriae non minimum tibi ipsi producendum putes.' Sunt haec verba optumi et praeclare sentientis adulescentuli, sed procul ab omni dubitatione adulescentuli sunt.

'Sunt tibi, M. Tulli, liberi propinquique digni quidem te et merito tibi carissimi: esse etiam debent in re publica proxime hos cari, qui studiorum tuorum sunt aemuli, quorum esse cupio tibi copiam: sed tamen non maxima me turba puto excludi, quo minus tibi vacet me excipere et ad omnia, quae velis et probes, producere.' Mitto inepte dici 'sunt tibi liberi' duobus annis post obitum Tulliae, sed quod non praetermittendum est 'M. Tulli' ait, quem nisi senem puer suspexisset 'mi Cicero' appellasset. Extremis autem verbis nonne se aperte dicit ad Ciceronem applicare, quem eundem olim C. Cassius puer appetiverat? cf. XV. 14.

Vidimus igitur quo iure Drumannus dixerit dedecère admodum iuvenem isto sermone uti. At idem Drumannus importune, ait, Cassium proconsulem 'Cassium nostrum' dicit. Audio. Sed quo quaeso nomine eum in litteris ex veterum more et consuetudine appellaret, praesertim ut distingueret a Cassio Parmensi in eodem exercitu militante? Hic autem Cassius Parmensis si litteras scripsisset, cum unus ex interfectoribus Caesaris fuisset, longe alio sermone usus esset. Non tam modesto et subtimido et puerili ore loquebatur is, qui 'nequissimum illum' 'impurum hominem' 'crudelissimum tyrannum' (cf. XII. 1. et 2) necaverat, nec habebat certe, cur Ciceronem oraret, ut iam de se diceret, se commendaret, ex-

ciperet, ad optimam spem produceret. Hactenus alteram epistulae partem, a §. 3. incipientem, a disputatione nostra consilio exclusimus, cum nec verba cum priore parte ullo vinculo cohaereant, et ea, quae dicuntur, mirum quantum ab illis discrepent. Narratur enim quae gesta sint contra Dolabellam, (cf. Drum. II. p. 162) narrat autem is, qui rebus gerendis ipse interfuit, et simplicibus, brevibus, perspicuis verbis narrat. Quod utrumque militem indicat. At in priore parte adulescentem Ciceroni singularem suum amorem testari eiusque virtutes ad caelum extollere cognovimus. Oratio autem verborum abundantia et luxuria quadam laborat, et plura inveniuntur, quae minus apte et commode dicta sint. Neque tamen de fraude litteraria cogitandum est, neque altera pars genuina, altera suppositicia habenda, utraque colorem habet orationis antiquae, utraque eiusdem auctoris est. Priore enim parte id agit scriptor, ut se bonae frugis optimaeque spei adulescentulum Ciceroni probet, altera id exsequitur, quod ei munus demandatum erat a Cassio proconsule. Qui cum primum ad Ciceronem Non. Mart. scripsisset, (ep. 11) alterum Non. Maiis, extremis litteris (ep. 12) haec adiecit: 'Litteris scriptis audivi Dolabellam in Ciliciam venisse cum suis copiis. Proficiscar in Ciliciam. Quid egerim celeriter ut scias dabo operam.' Hae igitur sunt litterae (ep. 13) Ciceroni promissae, quas cum ipse scribere non posset, operam dedit, ut per fratris filium scriberentur.'

Cui muneri optumus adulescens ita satisfecit, ut primum suis verbis scriberet, deinde ea, quae a Cassio iussus erat exponeret. Inde tractatarum rerum diversitas et sermonis differentia. Posteaquam igitur L. Cassium iuvenem his litteris auctorem assignavimus, restat, ut quae paucissima de eo referuntur exponamus. Igitur natus erat L. Cassius Longinus patre L. Cassio Longino equite Romano, quem Cicero pro Plancio c. 24. in. familiarem suum dicit. Patris fratrem habebat C. Cassium, Caesaris percussorem. Iam puerum apparet ad Ciceronem se applicasse eumque parentis loco coluisse. De rebus publicis quid senserit, inde cognoscitur, quod Cice-

ronis studiorum aemulum se esse fatetur et aetatis suae diutinam servitutem quaeritur. Magis etiam elucet, quod C. Cassium proconsulem in Asiam secutus est, sive ipsius sive Trebonii quaestor. cf. Ern. Cl. Cic. p. 128.

Quid in bello contra Dolabellam gessisset, ipse exposuit. Deinde a Cassio, cum, ut arma sua cum Bruto coniungeret, in Macedoniam profectus esset, in Syria cum una legione relictus est, ut Appianus narrat d. B. C. c. 63: Αὐτὸϲ δὲ ὁ Κάϲϲιοϲ τὸν μὲν ἀδελφιδοῦν ἐν Cυρίᾳ μεθ' ἑνὸϲ τέλουϲ ἀπέλιπε.

Sed paullo post exercitum secutus proelio Philippensi interfuit et in altera pugna obstinato ad moriendum animo acerrime dimicans cecidit. Appian. l. l. 135: οἱ δὲ καὶ ἐξεπίτηδεϲ ἐμαχέϲαντο μέχρι θανάτου· ὧν ἦν Λεύκιόϲ τε Κάϲϲιοϲ, ὁ ἀδελφιδοῦϲ αὐτοῦ Καϲϲίου.

Unum superest, quod commemorem. Quotquot enim Ciceronis familiares litteras ad eum scripserunt, qui sunt viginti duo, praeter Galbam, Asinium Pollionem, Lentulum, Lentuli Spintheri filium, responsa tulerunt. Ad quos sive Cicero non rescripsit, sive interierunt quae rescripsit, certe pluribus locis ita eos commemoravit, ut sibi coniunctissimos fuisse appareat. Ita Galbae mentio fit XI. 18. VI. 18. Philipp. XIII. 16; Asinii Pollionis IX. 25. XI. 9; Lentuli I. 7. I. 9. VII. 26. pro Sestio 69. 144.

Solus P. Cassius iuvenis a Cicerone nec responsum accepit, nec ullo appellatur loco. Verumtamen dubium non est, quin, si Ciceronis litterae ad L. Cassium patrem exstarent, filius 'eximia spe summaeque virtutis adolescens' ab eo esset appellatus.

Hactenus ita disputavimus ut duobus Appiani locis eundem Cassium significari existimaremus. Nec iniuria. Utroque enim loco ὁ ἀδελφιδοῦϲ Καϲϲίου dicitur, et quod altero loco additum est pronomen Λεύκιοϲ, id propterea factum est, quod non solus commemoratur sed inter plures fortitudine et constantia in ultimo discrimine eminentes refertur. At quomodo ab Appiano Λεύκιοϲ Κάϲϲιοϲ dici potest, qui in inscriptione litterarum C. Cassius est? Hic certe pronominis error est. Neque tamen

Appianus erravit, sed quod una littera facilius potuit quam septem corrumpi, et duae epistulae, quae praecedunt (11 et 12) C. Cassii sunt, librarius facillime errare potuit, ut pro L littera C poneret. Inscribenda igitur epistula est: L. Cassius Q. S. D. M. Ciceroni.